Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25977
Copyright: Admont, Benediktinerstift

iuxta historiam. In longa enim obsidione quomodo oues et pecora auferri
potuerant de hierusalem. que etiam si fuissent, fames consumpserat. Et non inquit sub
sistent siue non sunt. neque enim translati sunt in chaldeam. sed magna pars eorum
interfecta. uel penitusque deleta est. Non est qui extendat ultra tentorium meum. non est
qui me restauret et murorum meorum iaciat fundamenta. qui ad solum usque prostrati sunt.
Quia stulte egerunt pastores et dominum non quesierunt. propterea non intellexerunt.
Omnis grex eorum dispersus est. Pro translatione pastorum atque ouium insipientium. cul
pa et dispersio populi describitur. Quia enim principes stulte egerunt nec que
sierunt dominum quem toto corde debuerant perquirere. idcirco mala uenien
tia non uiderunt siue non intellexerunt dominum. et omnis multitudo hierusalem
huc illucque dispersa est. Vox auditionis ecce uenit et commotio magna
de terra aquilonis. ut ponat ciuitates iuda in solitudinem et habita
culum draconum siue cubile strucionum. et ut simachus interpretatus est
sirenarum. pro quo in hebraico thannim positum est. Verba prophete ecce inquit
sonitus et fremitus babiloniorum uenientis audiuntur magnaque commotio
siue tremotus de terra aquilonis. et omnes urbes iude habitatoribus in
terfectis redigat in solitudinem. et faciat pro hominibus dracones habitare.
et cuncta uenenata animantia. siue struciones. quod et ipsum animal
solitudini familiare est et in desertis nascitur aut nutritur. aut certe
sirenas quas monstra quedam et demonum fantasmata possumus intel
ligere. Hec omnia que et preteritus et presens sermo describit ad persecuti
onis ecclesie referamus tempora. quando tabernacula domini subuertuntur. et
omnis habitatio ecclesie redigetur in solitudinem. Et ut ista omnia eueniant
culpa pastorum est qui stulte egerunt et dominum non quesierunt nec intellex
erunt eum. et idcirco grex omnis dispersus est. Scio domine quia non sit homi
nis uia eius. nec uiri est ut ambulet et dirigat gressus suos. Erubes
cant noui predicatores qui aiunt unumquemque suo arbitrio regi. cum et
hic propheta dicat non est hominis uia eius. et dauid in lyrico canat carmi
ne. a domino gressus hominis dirigentur. et uiam eius uolet nimis. Siue
hic sensus est. Quod a babiloniis sustinuimus. non est eorum fortitudinis sed nostri
meriti et indignationis tue. Corripe me domine. uerumtamen in iu
dicio. et non in furore tuo. ne forte ad nichilum redigas me. Effunde
indignationem tuam super gentes que non nouerunt te. et super prouincias